

Proclaudo Joannes (Pietkowski)


Vitellii Jacobi: Immortalis memoria
in funere Joannis Proclaudae.

PANEG. et VITAE

Polon.

N^o.

4^{ta}
740.



IMMORTALIS MEMORIA,

In Funere

Admodum Reuerendi Domini,

D. IOANNIS PRECLAIDÆ,

olim in Academia Crac: S. Th. Professoris,
Præpositi Ecclesiæ S. Nicolai,

Præceptori optimo & fideli

A

M. IACOBO VITEL·LIO,

Eloquentiæ Professore Tyliciano, Canonico Eccl:

S. A N N Æ.

æternùm consecrata.

Anno 1635. ad 5. Kalend. Maij.



C R A C O V I Æ,

In Officina Francisci Casarij, Anno 1635.

376
Viuite felices quibus et fortuna peracta



Non in eo consistit mortuo bene
velle vt tibi dolorem inferas, sed vt
dilectotuo, aliquâ commodes ra-
tione, quod præstiteris, si eum bo-
na memoria honoraueris.

Plutarchus in Consol. ad Apollonium.



174695



Immortalis Memoria.



V M tristi officio Sacerdotes Sacerdotis
Professores Professori, alij vt fratres
fratri carissimo, alij vt discipuli Præcep-
tori, tanquam Parenti optimo, non
boue egregio, sed collachrymatione,
non lectaoue, quod veteres solebant;
sed hostia Agni immaculati parentamus, Professores cla-
rissimi. Quem tamen maturior ætas à nobis secreuisse vi-
deatur, nobis tamen eius caritas immatura, qui beneuo-
lencia & affectu eius paterno, vsq; satis non potuimus ex-
pleri. Sed eam fortunam ne foret diuturnior, fata inuide-
runt acerba. Dolebant non pauci, cum ex Collegio Pro-
fessor optimus, ad hanc Ecclesiam diuinitus vocaretur
ornandam, quod Collegam in sententia dicenda con-
stantem, in vita grauem & honestum, suæ viderent sub-
trahi necessitati: tamen eius affatu, & conspectu quam-
uis disiunctiore frui poterant non rarò. Nunc cum è vi-
ta emigrasset, quid nobis superest nisi mæsta solitudo, &
iucundæ illius conuersationis tristes recordatio. Non
enim sine dolore possumus meminisse eius in Academiã
animi, cuius vtramq; fortunam æquè ac suam arbitrare-
tur: Domus eius Professoribus fuit quasi Tusculanum,
in quo curas suas & anxietates ex affabilitate hominis
eruditi releurent: cuius sermo grauis, doctrina singu-
laris, iudicium, quale optandum omnibus, paucis expe-
ctandum. Hem conditionem humanam luctuosam, cum

minùs eam metueremus orbitatem : cùm diuturnioris hyemis pericula, quamuis per assiduas morborum iactationes euasisset : cùm Solstitium brumale, & vernum æquinoctium, (quæ illi tempora semper formidolosa imminebant) licet non sine offensione valetudinis, exegisset : & iam amænioris cælo, aura magis calente, ad Pastorale munus in Ecclesia sua obeundum regrederetur, & festa Paschalia audiendis confessionibus traduceret laboriosè : catarrhi vehementi defluxione, pectore constricto, & copia destillationis conferto, intra septiduum oppressus. Plerunquæ & nauigia, cùm aliquandiu secundo ferri videntur vento, eodem in loco, vbi tranquillè erant, momento sorbentur. Ego verò vt hoc supremo officio, beneficium educationis Præceptori tanquam Parenti optimo rependam : ostendam breuiter in hac vestra frequentia, qualis PROFESSOR fuit, & qualis SACERDOS, vt vel hac eius præclarissimarum recordatione virtutum, aliqua animo, luctu perturbato, solatia quæramus.

Professoris boni officium duabus insignioribus virtutibus quasi conspectioribus notis illustratur. Fide nimirum & amore in Academiam. Istæ sunt virtutes quasi retinacula status & conditionis nostræ, quas vbi labefactari contigerit, rem vniuersam literariam, & communem estimationem, non mediocriter labefactari oportebit. Et quidem Ciuilem fidem, quæ non rarò anceps est, & variat, impressa in tabulis signa custodiunt : fidem literati hominis, candor, & constans in officio animus, quæ res mutari & fluctuare non possunt sanctè conseruant. Fidem

Ciuilem

Ciuilem Cornelius Afina, cùm asellum onustum auro in forum produxit, abundè exsoluit: Vir Philosophus, fidem exsoluit facilè, si officia quotidiana, quæ impigrè & strenuè obeat, quasi asellus clitellas suas, palàm omnib' ostētet. Athenienses ita fideles in Remp. Romanam erant, vt quicquid Romæ fide sincera ageretur, id Attica fide geri prædicarent. An non fidem obstrinximus Academiae eius bono tuendo & propagando? an non obstrinximus Ecclesiæ, eius commoditatibus quantàm in nobis sit inferuendo? an non patriæ, hanc spem eius lectissimam, aureum Reipublicæ partum, inclytam iuuentutem, quæ ad Academiam confluit educando: vt iam quicquid fieri hîc oporteat, non tam Attica, quàm Academicâ fide, id est, incorrupta & sancta, quæ non sibi, sed patriæ laboret, fieri sit necesse. Hinc obuoluto capite, ligatis ad digitos manibus, fidei sacra instituebantur, vt nimirum ille, qui in fidei Sacratio foret, non tam ad mercedulam, vel aliquod ab officio suo lucellum abradendum, quàm ad honestatem & publicam respiceret dignitatem. Amor verò Academiae, & conditionis suæ, in qua, nostrum quemq; Deus collocauit, quantos homini non inertis, ad munus suum dextrè obeundum addit stimulos, quis pro merito narret? Hic efficit in nobis pietatem, gratitudinem, fortunæ vtriusq; modestam & prudentem tolerantiam, æquabilem cum animo suo concordiam, atq; illam laudabilem apud omnes, Philosophicam sufficientiam, quæ non multitudine diuitiarum, sed honesta viuendi ratione felicitatem æstimat. Quam virtutem qui habeat,

illi nihil aliud propositum in vita, quàm communis vtilitas, decus, salus. Nam vbi in aliquam Rempub. irrepserint illi Possidonij, Possifundi, Possidori, quorum propria professio est, ab infimo statu euehi continuò ad summas opes: ibi rectus illius Reipub. status esse non potest.

Qua Fide, quo Amore in Academiam fuisset hic optimus Professor, continui labores eius, & operæ cum omni conatu & fidelitate præstitæ abundè testantur. Eius fidelitati in Academiam incredibili, salus, libertas, & publica dignitas debetur comprimis. Illius enim felicitatis fuit, & diuini ingenij, Serenissimi & Inuictissimi Regis, qui interea victoriosissimè Regno præsidet, animum in tenella adhuc eius Maiestatis ætate, adiungere Vniuersitati & conciliare. Namq; cùm Sereniss: & Clementiss: Rex, quatuordecim adhuc, Theologicæ disputationi, in Academia interesset, & lumen suæ Maiestat: umbraculis Philosophorum infudisset: etiam Augustum in Album Vniuersitatis dedisset nomē; tantum ille Principem Panegyrico disertissimo per Nobilem THEOPHILVM PAC tunc in Academia studentem, honorificentissimè accepit. Ex hoc tempore Clementissimi Regis Fauorem & Protectionem Academia impetrauit: cùm quasi Diuinus vates præfagiret, qualis hic REX futurus esset, quàm salutaris Reip. quàm beneficus Academiae. Ferunt Socratem antequam sibi instituendus Diuinus Plato daretur, per noctem vidisse, è gremio suo olorem euolasse, qui omnia suauissimo circum circa compleret cantu. Ita Diuinus hic vir quasi olor suavis, multò antè, priusquam Serenissimum
in Re-

in Regali Solio conſpexiſſet, ex ipſius Regali indole, iu-
cunda elocutionis voce, præcinuiſſe videtur immortalẽ
Sereniſ: Regis famam, & victorias, præpete & nimis cele-
ri curſu, toto orbe propagandas. Emanauit abindẽ pro-
perẽ, eius ingenij & induſtriæ fama, ad præſtantiſſimos
quoſq; in Regno Principes, cum eius fidei, aut filios, aut
cognatos ſuos darent inſtituendos. Colebat eius virtu-
tem & eruditionem magnus in literis, grauiffimus au-
thoritate, qui de hominibus ſciebat & poterat iudicare,
Illuſtriſ: Archiepiſ: Gneſn. LAVRENT: GEMBICKI,
cui nepotem ſuum, præſentem Reuerendiſ: Abbatem
Thremelleſn. Suffraganeum Gneſneſn. domeſtico alen-
dum conuictu, & priuata educandum permiferat disci-
plina. Cui quantã fidelitate operam impendiſſet, ex hac
præſtantiſſimi hominis dexteritate, rerum agendarum,
legationum obeundarum felicitate, poteſtis iudicare. Cu-
ius equidem in ſe ſtudij, & fidelitatis, ita Reuerendiſ: hic
Præſul, gratus fuit, vt Romæ interea præſentem ad men-
ſam ſuam, & quotidianum conuictum, non vlla eius ne-
ceſſitate, ſed ſuã gratitudine propẽ año inuitaret. Tantam
benẽ de ſe merito gratiam, omni ſua humanitate vole-
bat conteſtari. Sed neq; vlla fuit à Reuerendiſ: Aca-
demix mentione, quin eius honorificẽ ſemper meminiffet.
Fideliſſimo iſti Profefſori idcirco libertatem & ſalutem
Academix debemus, quod talem inſtituiſſet diſcipulum,
qui extremo Academix periculo, prudenter ſciret ſubue-
nire, & quam fidem à præceptore ſuo hauiffet, eandem
ſuæ Altrici feliciffimẽ impendit. Feliciffimi Præpto-
res,

res, qui tales nanciscuntur discipulos: infelicissimi, quibus ob vitia à se institutorum, non mediocriter erubescendum. Demosthenes ab Atheniensibus aliquando damnatus dicitur, quod Critiam instituisset, qui omnem ingenij vim, inter triginta Tyrannos, ad exitium & iniuriam patriæ exprompsit. At qui non eo fine instituerat, ut esset quasi struma Ciuitatis & pestis publica; sed ingenium hominis improbum, quicquid à Præceptore suo fructuosum accepisset, quasi aranea in venenum, & exitium domesticum conuertit. Fides itaque optimi istius Professoris eximia eluxit, in promouendo & tuendo bono communi, in educandis illis ad usum Reipub. qui eius virtuti crediti fuissent. Non penituit Academiam eiusmodi habere Professore, fidelem operarium, cuius nomine apud Regni Principes optimè audiret. Eius eruditionis fama allectus Illustris: D. IOANNES COMES AB OSTRO-ROG, Palatinus olim Posnaniens. magna authoritate, & Sapientia Senator, inclytam spem suæ Domus, filium suum Illustrum D. NICOLAVM COMITEM AB OSTRO-ROG, nunc Dapiferum Regni, erudiendum commisit, in quo docendo, quam felix fuisset, ex eius magna dignitate, & quotidiano in Reip. negotijs vsu colligit quisque. Et hæc quidem optima sui institutio, ita Illustri D. Dapifero infidet, ut filio suo, qui impubes adhuc parua ætatula sit, tam bonum & fidelem, imò eum ipsum optet Præceptorem. Consimili in eum studio fuit Illustris: D. Palatinus Nowogrod: NICOLAVS SAPIEHA, qui non aliunde præceptorem nobilissimis suis liberis, quam ab Acade-
mia

nia eius consilio euocauit, eosdem cum in Academiam misisset, illius fidei & beneuolentiae commendauit. Longum esset ceteros recensere, quos eius opera ad publicam produxit utilitatem: hoc duntaxat suffecerit, non sibi natum, sed bono communi, & dignitati Academicae, apud omnes tuendae, hunc in locum Dei benignitate concessum fuisse. Non ille aut opes, aut quæstum ex re literaria quæsiit vnquam, sed præsentis contentus fortuna, solo & vnico, idq; modico stipendio Academicæ vixit, quod illi sua comparabat industria, frugalitas propagabat. Mirum tamen est, quod in tenui re nummaria, & modica, quæ vix funebribus suffecerit impensis, eum & alijs suo peculio non defuisse iuuandis, & copiosam librorum, magno studio conquisitorum supellectilem reliquisse. Et hæc fides in literas & Academiam præstantissima, malle suas arculas & pluteos libris eruditis, thesauro hominum præstantiorum optimo, quam nummis auaritiæ aut luxuriæ alienæ instrumento, compleri. Sciuit nimirum à Deo se vocatum, non ad inuidendam, & alijs iniuriosam in Academia opulentiam, quam etiam domi suæ (cum non arcta patriâ fortunâ fuisset) habuisset; sed ad tuendum & ornandum locum Academicum, eruditione & literis, quæ in paupertate tanquam in proprio tutius viuunt elemento.

Amore verò in Academiam quo fuisset, vel exinde planum est, quod eius honori, & authoritati, vel cum detrimento valetudinis, cum natura infirmo fuisset corpusculo, semper consultum vellet. Eruperat inopinatò grauis & acerba ab homine insolenti, & iniurioso in Aca-

demiam, conuiciorum ex triuio lectorū petulantia. Adhuc recenti fama, cū adhuc crimina nobis iniuriōse obiecta calerent, & hominum sermonibus variē frequentarentur, obiecit se restinguendæ illi flammæ, alieno in nos siabello excitatæ: opposuit VINDICIAS, quæ quasi spongia, maculas nomini Academico cōtumeliōse aspersas eluerent. At quā grauiter, quā modestè? quantum prudentia sua & animi moderatione, insaniam alienam compressit & redarguit? vt in scripto suo, exemplar modestiæ Academicę relinqueret consignatū. Quod scriptū cū primò adspexisset Prudentis: Archiep. qui interea rerū Ecclesię in Regno præsideret, dixit: probè hominem sibi cognitum esse, ex scripto erudito & modesto. Quid quod præsentī fortunæ Academicæ plurimū gratularetur & gauderet? & se iam non inuitum quasi ex arena, spectatum satis cedere, conspecta luce libertatis literariæ, palàm significaret? Testes eius animi in Academia fuerunt præstantiores quique in Vniuersitate, qui eius penitiūs ingenium & profectum cognouerant. Carus erat ANDRÆ SCHONÉO, docto & probō viro. Colebatur STANISLAO BATCOVIO homini religioso & pio. GABRIELI IOANNICIO, qui suus præceptor esset, quasi Lydius Virorum bonorum lapis, erat intimus. SIMONI HALICIO Viro deuoto & integerrimo domesticus: neq; tantū his, sed omnibus etiā carissimus. Nemo erat in Academia, qui non hominem studio & affectu optimo prosequeretur. Eius autem affectum in Professores vel Studiosos, quis pro meritō explicabit? cū etiam recenter paucos ante mortem dies ap-

primè

primè quæreret, qui nam ex Professoribus iunioribus ad existimationem, & spem Academiae succrescerent; quod ubi intellexisset, eos vel eo nomine, tametsi nosse nõ poterat, diligebat. Studiosis pauperibus, quantum sua mediocris permittebat fortuna, plurimum beneficus: quorum etiam sex, in funere suo vestiri mandauit: contubernium Pauperũ, certa librorum Supellectile ornauit. Habetis fidelem & amantem Vniuersitatis Professore, quem vtinam vt suspicimus ita imitemur.

Sacerdos porro qualis fuit? talis nimirum, qui meminisset impressum sibi signaculum Similitudinis DEI, pignus Salutis aeternae, quo conformis esset imaginis Filij DEI, non solum tanquam membrum capiti, aut miles Duci, sed etiam vt minister Summo Sacerdoti. Fuit Sacerdotium eius florens virga Aaronis, quae folia, & flores, & fructus produceret. Folia quidem verborum exempla, flores factorum honestatem, fructus autem proximi Caritatem, & continentiam vitae; adeo vt cum adhuc in hac dissimilitudinis regione ageret, iam virtutibus suis in gloria Sanctorum versari videretur. Datus in Praepositum ad Ecclesiam S. Nicolai, quid non egit vt rem Ecclesiae efficeret opimiolem? Census cum iniuria Ecclesiae exiguos, ad iustam exegit pensionem: putres domos & fatiscentes, ubi redditus Ecclesiae periclitabatur, de suo refecit: templi tectum quod perplueret, in diesque magna Ecclesiae ruinam sua mole scindendum erat, de integro sarciuuit, & interpolauit; in praedio, quod antea omni tecto esset nudum, horreum, pecuarium, domum seruituti rusticae accomodam, extruxit. Atque haec

omnia de suo tenui peculio, cuius adhuc à morte eius refundendi, Ecclesiæ istius non sufficit fortuna. Populo & loco isti, quàm carus fuisset hinc liquet: quod cùm postero festo die, mors eius ex Cathedra denunciaretur, non solum populus ad rem diuinam confertissimus, tam probum pastorem, ex cuius vnus ore decennio Dei eloquia hauriebat, certatim luxit: Sed ipsi propè parietes se commouisse, & ob beneficum Pastorem amissum, ingemuisse videbantur.

PROFESSOREM & Sacerdotem optimum vobis exhibui Professores Claris: cuius quantò virtutes ampliores, tantò nobis luctuosiores, quòd eo bono diutiùs frui non liceret. Quanquã mortalitas huius viri magis quàm vita finita est, quia mors Echo vitæ est, cum illi respondeat, ita vt Echo voci. Cùm ergo viueret iustorum vita, mortuus est iustorum morte. Non enim stimulum mortis sensit, sed propè iubilum, cùm ita emigraret, vt ad meliorem natalem transire se intelligeret. Nam postquàm Sacramentis Sanctis animosus se communiret, nec amicorum in extremo discessu, quibus amicissimè valediceret, obliuisceretur; reliquum quod supererat vitæ, ad Deum obuertens, feliciter & sanctè excessit.

Æternùm vale Professor inclyte, optime Sacerdos, Præceptor fidelissime: qui fuisti in domo Dei, & in Academia, quasi lucerna ardens & lucens, non sub modio, sed in aperto; optamus & precamur, vt sis lucidissima stella in eo domicilio, in quo beati corporeis exsoluti vinculis, æuo perfruuntur immortalis. DIXI.



UNIV.

CAF

